



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologiæ Polemicæ Universæ

Pichler, Vitus

Augustæ Vindelicorum, Anno MDCCXIII.

Prolegomena seu Controversia proœmialis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39374



PROLEGOMENA.

Seu

CONTROVERSA PROOEMIALIS.

SUMMARIUM.

1. *Qui cupit addiscere scientiam vel artem aliquam, praeibit cum oportet objectum illius.*
2. *Quid sit Fides, circa quam versatur scientia Polemica.*
3. *Quid Fides Divina, & Humana.*
4. *Quod objectum fidei Divina tam materiale quam formale.*
5. *Virumque, quamvis obscurum sit, debet esse evidenter credibile.*
6. *Fides Divina includit tria, habitum, actum, & objectum.*
7. *Ei opponitur Haeresis: quid haec sit.*
8. *Haeretici alij sunt formales, alij materiales.*
9. *Quid sit objectum Theologiae Polemicae.*
10. *Quinam Adversarij, contra quos pugnat Polemica, praesertim moderna.*
11. *Quinam vocentur Protestantes,*
12. *Reformati,*
13. *Evangelici,*
14. *Confessionista.*
15. *An & quibus liceat vel expediat cum his Seltarijs disputare.*
16. *An praestet cum ipsis disputare aggressivè,*
17. *Vel defensivè.*
18. 19. *Si disputare placeat aggressivè, quomodo id praestandum.*
20. *Quare tam pauci ex Protestantibus convertantur.*
21. *Proponitur ordo doctrinae totius Operis.*

R. P. Pichler Theol. Polemica.

A

Scien-

1.  Sciendum 1. Naturam, præstantiam, utilitatem, ac necessitatem ælicijus scientiæ vel artis optimè cognosci ex objecto, circa quod illa versatur, & sine, quem spectat. Unde, quod aliarum Disciplinaryum Magistri factitare consueverunt, mihi pariter, antequam ipsa Theologiæ *Polemica* (seu bellum gentis contra Infideles, præcipuè Hæreticos) adyta ingrediar, statuendum videtur ejus objectum, & infinnandus finis. Cum verò horum notitia haberi perfectè nequeat sine aliqua saltem *Fidei* veræ ac Divinæ, eiquè oppositæ *Hæresis* cognitione prævia, etiam de his aliquid præmittendum censui. Porro cum potissimum & ferè constanter contra Hæreticos disputare & certare necesse habeat Controversista, quinam hoc nomine veniant, qualésque hoc tempore & loco Adversarios nactus sit, quos aggrediatur, vel contra quos se defendat, quæve ratione eos debellare quàm facillimè & certissimè valeat, prænotasse juvat.

2. Sciendum 2. *Fidem*, circa quam versatur Theologia *Polemica*, non esse illam, quæ spectat ad Voluntatem, & sumitur vel pro *Fiducia*, quæ nihil est aliud quàm Spes roborata, & ideo ad Theologiæ Speculativæ tractatum de Spe pertinet; vel pro *Fidelitate*, quæ præbet constantiam in servandis promissis. Sed illam fidem, quæ spectat ad Intellectum, quam D. Paulus, postquam c. 10. ad Hebr. dixit, justum ex fide vivere, statim in principio c. 11.

sequentis sic definit: *est autem fides sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium.* Ubi vox *argumentum* apertè significat opus Intellectus, quæ in Græco exprimitur per vocem *ἔλεγχος*, quam teste Suarez PP. Græci dicunt idem sonare, quod sonat *convictio*, *assensus firmus*. Et postquam idem Apostolus c. cit. intulit, sine fide impossibile esse placere Deo, rationem reddit: *quia accedentem ad Deum oportet credere, quia est.* Quod non ad voluntatem, sed ad Intellectum pertinet, ut patet. Itaque cum S. Augustino l. de Spir. & litt. c. 31. pronuntio: *de hac fide nunc loquimur, quam adhibemus, cum aliquid credimus, non quam damus, cum aliquid promittimus.* Addo: *qua aliquid speramus.*

3. Sc. 3. Nobis sermonem non esse de fide Humana, sed Divina. Est autem fides *Divina*, qua firmissimè creduntur vera esse, quæ & quia à Deo revelata sunt, sive qua creditur Deo loquenti & revelanti aliquid: Sicut ex opposito fides *Humana* est, qua creditur homini aliquid asserenti, & vera esse, quæ ab ipso dicuntur. Ex quo patet, fidem Divinam potissimum differre ab Humana ex objecto formali seu motivo, quod nos inducit & movet ad credendum seu assentiendum. Quantumvis verò Fides *Divina* sit actus Intellectus, ut dictum, supponit tamen etiam aliquem actum voluntatis, qui dicitur *Pia affectio*, eò quod voluntas imperet Intellectui, ut per submissionem proprii judicij ex motivo honestatis & reverentiæ erga Divinam veracitatem as-

sensum firmissimum & indubitatum præter veritatibus obscuris à Deo obscure revelatis, seu Deo obscure loquenti & revelanti veritates non evidentes. Quo pacto actus fidei, licet formaliter exerceatur ab Intellectu, denominatur tamen liber & honestus extrinsecè.

4. Sc. 4. Fidei Divinae objectum esse duplex, materiale & formale. *Materiale* est omne & solum id, quod Deus revelavit vel immediatè Prophetis & Apostolis, vel mediatè per Ecclesiam, concionatores &c. nobis loquens. Ex omnibus autem revelatis principalissimum objectum, quod credi debet, est ipse Deus, specialiter quòd existat, & Remunerator sit. Hebr. 11. *Objectum formale* seu motivum est Deus summè verax & revelans: adeoque duo includit 1. *Veracitatem* Dei infinitam, dum nempe Deus apprehenditur ut Infallibilis in cognoscendo & loquendo, ita ut nec falli, nec fallere possit. 2. *Revelationem*, seu signum aliquod & medium, per quod nobis loquitur, vel aliquid revelat: nam auctoritas seu veracitas Dei nudè spectata non potest nobis esse ratio & motivum sufficiens ad credendum aliquid, vel credendum hoc potius quàm illud, nisi interveniat aliquod signum, quo mediante nobis innotescat, quòd & quid Deus nobis loquatur, & credendum proponat. Atque hoc signum varijs nominibus Scriptura exprimit, appellando *testimonium, narrationem, Verbum, revelationem* &c. Dei. Quibus verbis indicatur locutio Dei tam activa quàm passiva, ut Scholastici lo-

R. P. Pöbner Theol. Polemica.

quuntur, seu conceptus Dei, & signa, quibus conceptum suum nobis manifestat Deus: qualia sunt verba Prophetarum, Apostolorum, Ecclesiae &c. iis circumstantiis & indiciis vestita, ut prudenter dubitari vel negari nequeat, per ea nobis Deum loqui: quibus insuper accedunt illustrationes internæ & lumen supernaturale. Unde fit, actam fidei Divinae debere esse firmissimum ac certissimum tam *objective*, seu ex parte objecti formalis & motivi, quàm *subjective* seu ex parte subjecti vel hominis credentis, qui propter revelationem Dei sibi satis cognitam imperare sibi tenetur firmissimam adhesionem intellectus, ita ut paratus sit potius omnia alia negare, vel mortem etiam sustinere, quàm veritatem talem à DEO revelatam sibi que sufficienter propositam negare, aut in dubium revocare.

5. Sc. 5. Quamvis objectum materiale fidei Divinae & ipsa revelatio Divina sint obscura, sive quamvis objectum revelatum esse verum, & Deum illud revelasse, evidens non sit; *quid enim est fides, nisi credere, quod non vides?* ait S. Aug. tr. 40. in Joan. Ut nempe fidei constet sua libertas & meritum; tamen *evidenter credibile* esse, Deum fuisse nobis locutum, hoc vel illud revelasse, adeoque & *evidenter credendum*: consequenter non tantum evidenter dignum creditu, sed etiam sub obligatione credendum firmissimè est, quod Deus revelavit. Fit autem objectum revelatum evidenter credibile & credendum per *Motiva credibilitatis*, ut nuncupamus, quæ talia sunt & esse

A 2

debent, ut evidentia sua ita convincant hominem, ut prudenter nullatenus dubitare possit, quin hoc vel illud à Deo revelatum sit, & agnoscat honestatem ac obligationem credendi; atque ita, ut sine nota stultitiae & sine injuria primae Veritatis dissentire nequeat locutioni Divinae hoc vel illud revelanti, tot & tam claris signis ac credibilitatis motivis circumscripta: cujusmodi locutio est verum miraculum, item propositio alicujus articuli ab Ecclesia Romano-Catholica proveniens, utpote iis signis coruscante, quae evidenter credibile faciunt, eam esse veram Christi Ecclesiam, adeoque per eam ipsum Deum nobis loqui, ut suo loco demonstrabimus.

6. Sc. 6. Fidem Divinam tria includere, nempe habitum, actum, & objectum materiale fidei: quae tria sigillatim etiam sumpta Solent appellari Fides conformiter doctrinae S. Thomae, qui 1. 2. q. 55. a. 1. ad 1. ait: *Fides quandoque dicitur id, quod creditur, quandoque vero ipsum credere, quandoque autem ipse habitus, quo creditur.* Fundamentum hujus rei habetur in ipsa Scriptura S. Nam 1. Fides pro *habitu*, seu pro lumine & qualitate supernaturali, instar habitus permanente in anima, accipitur 1. Cor. 13. *Nunc autem manent tria haec, Fides, Spes, Charitas.* 2. pro *actu* accipitur Mat. 9. *secundum fidem vestram fiat vobis,* item toto c. 1. Hebr. & ubi in SS. Literis praecipitur Fides tanquam ad salutem necessaria; quia praecepta dantur de actibus. 3. pro *objecto*, seu pro ipso dogmate & doctrina à Deo revela-

ta accipitur Gal. 3. *Ubi venit Fides &c.* Eph. 4. *Unus Deus, una Fides.* Rom. 1. *Fides vestra annuntiat in Universo mundo.* Item in Symbolo S. Athanasij: *haec est Fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* Porro sumpta pro actu, seu Fides actualis, sic definiti potest: *est assensus certus & obscurus propter infallibile Dei revelantis testimonium.* Atque sic sumpta rectè dicitur Fides *formalis*, sumpta vero pro objecto credito commodè vocatur Fides *objectiva*.

7. Sc. 7. Fidei verae ac Divinae rectè opponi Haeresim, quae Graeca vox est, & Latine *Electioem* significat. Unde *Haeretici* dicuntur, qui Fidei & Ecclesiae verae, quae sola Catholica est, contrariam doctrinam eligunt, & suam singularem opinionem sectantur: quare & *Sectarij*, praesertim in Romano Imperio, appellari consueverunt, cum vocabulum *Haeretici* nimis ipsis exosum sit. Haeresis ferè, sicut de Fide diximus, duplici pariter modo accipi potest, nimirum 1. pro actu intellectus, seu iudicio erroneo, quo quis amplectitur falsum dogma. 2. & frequentius pro objecto iudicii erronei, seu pro ipso dogmate falso (subinde pro ipsa secta falsa, sicut fides pro ipsa Ecclesia vera) sumpta pro actu intellectus ita definitur: *est error contra fidem cum pertinacia in eo, qui se Christianum profitetur.* Sumptam pro tali actu intellectus rectè dices haeresim *formalem*, sumptam vero pro dogmate falso credito haeresim *objectivam*, uti de fide dictum. Ad haeresim

resum formalem juxta datam definitionem requiritur 1. ex parte Intellectus *judicium erroneum contra fidem, seu contra veritatem aliquam à Deo revelatam, & ut talem sufficienter propositam.* Hinc propè hæreticus non est, qui exteriùs tantùm ex respectu humano &c. negat aliquem articulum fidei, aut qui dicit, se velle amplecti Sectam falsam; quia tales non assentiuntur dogmati falso, quamvis mortaliter peccent. 2. Ex parte Voluntatis *pernitencia, sine qua judicium erroneum non est hæretis formalis, ut patet ex Epist. 162. S. Augustini, ubi sic scribit: qui sententiam suam quamvis falsam atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt &c. nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* 3. Ex parte subjecti *professio fidei Christianæ; quod iterum habetur ex S. August. qui l. 18. de Civit. c. 51. ait: hæretici sunt, qui sub vocabulo Christiano doctrina resistunt Christianæ; qui enim Christianam omnino non profitentur, Judæi sunt vel Pagani, non hæretici.* Hæresim in eundem modum definit Jo. Gerardus scilicet princeps inter Lutheranos Theologos LL. Theol. de Ministr. Eccles. §. 370. dicens: *Hæresis est privata aliqua opinio, quam quis pro dogmate Christiano & fide Catholica sibi amplectendam elegit, eamque pertinaciter defendit.*

Sc. 8. Hæreticos dividit in Formales & Materiales. *Formalis hæreticus est, qui scienter, voluntariè, & pertinaciter adhaeret errori contra fidem Catholicam.* Est autem pertinacia, ad hæresim requisita, efficax & deliberata voluntas dissentendi alicui veritati Catho-

licæ seu à Deo revelatæ, & ut tali sufficienter propositæ per S. Scripturam, vel Ecclesiam, vel aliam generalem fidei regulam, satis probatam ut infallibilem. Rursus desumitur ex S. August. l. 4. de Baptismo c. 16. ubi inquit: *istum nondum hæreticum dico, nisi manifestat sibi doctrinam Catholicam fidei resistere maluerit, & illud, quod tenebat, elegerit.* Hæreticus *Materiales* dicitur, qui vel ex ignorantia, vel sinistra instructione seductus, vel falsa apprehensione deceptus adhaeret quidem errori contra fidem Catholicam, paratus tamen est eum deponere veritate sufficienter cognita. Et hujusmodi hæretici *Materiales* (meò quidem judicîo) in Germania sunt plurimi, non obstante, quòd sæpe Catholicis immixti vivunt. Qui si interim actu universali credant in genere omnia à Deo revelata, ipsa orthodoxi sunt, & ad Ecclesiam Catholicam pertinent, non minus ac illi simplices ex Catholicis aut malè instructi, qui subinde aliqua mysteria fidei nostræ perperam apprehendunt, non ritè intelligunt, vel errorem aliquem ignoranter tenent; quem tamen sufficienter corrigunt per generalem fidei actum, quo credunt omnia à Deo revelata: quem actum habere debent. Ad hæreticos materiales etiã reducuntur illi ex Sectarijs, qui laborant ignorantia etiã vincibili & culpabili, utpote quam deponere negligunt; quia, quamvis hujusmodi graviter delinquant omittendo debitam diligentiam in inquirenda & amplectenda veritate tanti momenti, propriè tamen & formaliter pertinaces non sunt; quod

enim & quamdiu ignoratur, tandiu non scienter & voluntariè, proinde nec pertinaciter negatur. His præmissis

9. Dico 1. Objectum (consequenter & finis) Theologiæ Polemicæ est Fides vera ut asserenda, roboranda, & defendenda. Prob. 1. auctoritate S. Augustini, qui l. 14. de Trinit. c. 1. explicans verba Apostoli: *alij datur sermo scientia*. 1. Cor. 12. ita discurret: *Paulus huic scientiæ tribuit illud tantummodo, quo Fides saluberrima, qua ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: qua scientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, qua non nisi æterna est: aliud autem scire, quem admodum hoc ipsum & pijs opituletur, & contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus.* Prob. 2. Illud est objectum materiale alicujus scientiæ, circa quod versantur ejus conclusiones: sed conclusiones Theologiæ Polemicæ versantur circa Fidem veram ut asserendam (scilicet ostendendo, quid credi debeat tanquam Divinitus revelatum) ut roborandam (nempe apud Catholicos firmis argumentis) & ut defendendam (nimirum contra Infideles, maxime contra Hæreticos, solvendo eorum objectiones) ergo objectum materiale Theologiæ Polemicæ est Fides vera, ut asserenda, roboranda, & defendenda. Ma. est certa inter Doctos. min. constabit ex decursu, & singulis controversiis, quas

pertractabimus. Cæterum nomine *Fidei* intelligo potissimum Fidem objectivam, seu objecta, & res divinitus revelatas, & per fidem formalem credendas, sive dogmata, quia ista, per actum vel habitum fidei credita, denominantur *Fides*, & sic complexum ex objecto & actu fidei fit objectum Theologiæ Polemicæ: Ferè sicut ens rationis Logicæ denominatur à cognitione Logicæ, & sic res ut affecta certâ cognitione fit objectum Logicæ ut scientiæ.

Dico 2. Adversarij, contra quos Belligerans seu Controversistica Theologia Orthodoxa pugnat, à potiori sunt Hæretici, & in Germania nostra hoc præcipuè avo *Protestantes*, ut nuncupantur, videlicet Lutherani & Calvinistæ, quorum hi *Reformatos*, illi *Evangelicos*, vel *Confessionistas* se se vocitant, & ab alijs vocitari cupiunt. Ratio primæ partis est, tum quia Hæretici præ cæteris Infidelibus verbò & calamò fidem Catholicam, de qua egressi sunt, persequi consueverunt, tum quia SS. Patres, primi Controversistæ, potissimum disputarunt, subsque calamos strinxerunt adversus Hæreticos, tum quia Judæorum & Paganorum errores adeò crassi & aperti sunt, ut multo labore opus non sit ad eos detegendos, vel confutandos. Dixi tamen à potiori; quia SS. PP. ac alij Theologi Polemici adversus alios quoque Infideles, nimirum Judæos & Paganos, præsertim Gentiles, arma arripuerunt & scuta, exemplò ipsius Gentium Doctoris S. Pauli. Quare & mihi decretum est illos in Controversia 1. Fundamentali impugnare. Ratio secundæ partis est.

est.

est, quia in Germania, praesertim in Imperio Romano, ubi vivimus, ferè non alij aperte se se opponunt Catholicae fidei, ac *Protestantes*. Cum verò, ubi haec scribo, Lutherani tantum commoventur, directè contra hos ordinariè mihi res erit: quamquam ferè omnia applicari facillè valeant, & aequaliter ferè pugnent contra Calvinistas, eò quòd hæc e parem habeant causam, similibus utantur telis, & iisdem ferè clypeis.

11. Quæres, quinam & qua de causa appellentur Protestantes, Reformati, Evangelici, Confessionistæ? R. 1. quamvis nomen *Protestantium* solis Lutheranis proprium sit attenda ejus origine, quæ sic habet: cum in Comitijis Spirensibus An. 1529. cautum fuisset ut nihil in Religione mutaretur usque ad Concilium, & decretum bellum contra Turcas in Hungariam irruentes, ac propterea à Principibus & Statibus Imperij poscerentur auxilia, contra protestati sunt Joannes Elector Saxoniae, Georgius Marchio Brandeburgicus, Ernestus & Franciscus Duces Luneburgenses, Philippus Landgravius Hassiae, Wolfgangus Princeps Anhaltinus: quorum *Protestationi* communicatò consilio se junxerunt plures Civitates, eodem, quo dicti Principes, Lutherana doctrina veneno infecta, scilicet Argentina, Norimberga, Ulma, Constantia, Reitlinga, Memminga, Lindavia, Campidunum, Heilbrona Nordlinga, Sant-Gallum &c. Quamvis, inquam, appellatio *Protestantium* spectandò ejus originem conveniat ac propria sit solis Lutheranis, defacto ta-

men saepe etiam tribuitur Calvinistis, ita ut hoc vocabulum utrisque commune evaserit, utriusque Secte professoribus simul applicari solitum, haud dubiè propter communia utrisque studia in contradicendo Catholicis: factumque est nomen Religionis, quod prius erat Politiae, saltem ex parte.

R. 2. *Reformatos* se dicunt Calvinista, sed malè. 1. quia reformari non potest Ecclesia Catholica in articulis fidei, utpote in qua deficere nunquam potest, aut in errorem labi; à qua tamen reformatione volunt suam nomenclationem trahere. 2. quia Lutherani, Zwingliani &c. eodem jure se possent appellare Reformatos, id est, nullo; per hoc enim, quòd novam doctrinam invexerint, non fiunt statim Reformatores. 3. quia induxerunt dogmata falsa, scelerata, blasphema, quæ bonis moribus summum præjudicium asserunt, ac omne virtutis studium tollunt, latamque sceleribus portam aperiunt, uti de libertate, de fide salvificante, de auctore peccati, de absoluto Dei decreto aliquos ad infernum prædestinantis independenter ab eorum operibus &c. 4. quia Joannes Calvinus, primus Auctor hujus Reformationis, fuit homo notorie impius & scelestus, utpote propter turpissimum flagitium stigmatè notatus, è Gallia proscriptus, & inter horrendas execrationes morbo pediculari extinctus &c. Beyerlinck in Theat. Vit. Hum. & alij ex Ant. Damochares, Vacquetio, praesertim Bolleco in vita.

R. 3. *Evangelicos* se nuncupant Lutherani, sed inmeritò. 1. quia Ecclesiae sunt

re-

rebelle, ejusque capiti non parent: de his autem Evangelium dicit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*. Mat. 18. 2. quia asserunt doctrinam Evangelio non conformem, dum bonis operibus negant mercedem, quam tamen Evangelium ipsis toties promittit Mat. 10. & alibi: dum negant ab Evangelio contineri praecepta; cum tamen Evangelium dicat: *mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*. Jo. 13. dum improbant consilia Evangelica voluntariae paupertatis, castitatis, obedientiae, studij perfectionis & omnis justitiae implenda &c. cum tamen Evangelium dicat: *si vis perfectus esse, vade, vende, quae habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in caelo; & veni, sequere me*. Mat. 19. & Paulus: *de virginibus praeceptum domini non habeo, consilium autem do*. 1. Cor. 7. *Estote perfecti sicut & Pater vester caelestis perfectus est*. Mat. 5. *deceat nos implere omnem justitiam*. Mat. 3. Taceo plura. 3. quia tradunt dogmata non tantum Evangelio contraria, sed & impia, omnique licentiae spatiosam viam sternentia, dum docent, mandata Dei observari non posse, etiam justum in omni opere bono peccare mortaliter, bona opera non esse necessaria, imò esse noxia, ad salutem, hominem justificari solà fide, confessionem distinctam peccatorum non esse faciendam homini &c. 4. quia Auctorem vel parentem habent prorsus flagitiosum, nempe Martinum Lutherum, turpem apostatan, votifragum, perfidum Deo & superioribus rebellem, sacrile-

gum, superbum, maledicum, obscenum, mendacem, diabolo familiarem &c. &c. quod adeò vulgatum est & certum, ut nulla tergiversatione celari, vel inficiando in dubium vocari possit. Praeclarus novi Evangelij buccinator! 5. quia probare nequeunt, se purius habere Evangelium, quam Calvinistae, vel Zvingliani habeant, consequenter quare pra' his sibi arrogant speciosum nomen *Evangelicorum*, quem furantur Catholicis, qui soli totam Evangelij doctrinam profitentur & exercent. Certè nunquam quietè possederunt hunc titulum, nec Catholici unquam dabunt tanquam ipsis debitum vel consentaneum.

R. 4. *Confessionistas* se appellant iidem Lutherani à Confessione Augustana (Symbolo suae fidei) de qua in fine annectitur peculiaris tractatus. Et hanc appellationem ipsis indulgeo; quamquam non modò in moribus & doctrina, sed etiam in ipso textu plurimum jam defecerint à memorata Confessione, cui tamen omnes, ut ut alii inter se discordes, se addictos profitentur.

Dico 3. *Quamvis disputare privatim* cum Sectarijs (Lutheranis & Calvinistis) in Germania Jure Positivo prohibitum non sit Catholicis; tamen Jure Naturali non omnibus, & cum omnibus licitum, minus consultum est. Assertio optimè probatur illam explicando. Itaque dixi 1. *privatim*, nam disputationes publicas & solennes instituere cum ipsis utique permissum non est sine licentia tam Politici quam Ecclesiastici Superioris, cum possunt

possint turbare quietem publicam, & Fidem concernant. Dixi 2. in *Germania Jure Postivo*; nam de Jure Comuni disputare de rebus fidei; etiam privatim tantum, prohibitum est laicis sub pena excommunicationis per sententiam infligenda c. quicumque 2. de Hæreticis in 6. quia nempe laici præsumuntur non esse satis versati in Controversiis, ac proinde non sine periculo tum suo tum audientium congregati cum gente perversa & callida: imò & clericis id prohibitum est ratione inconveniæ, sed sine pena excommunicationis Can. cum quibus causa 24. q. 3. Cui tamen utrique prohibitioni consuetudine contraria derogatum est in Germania, ut adeò tam laici quàm clerici, modò rerum Polemicarum periti sint, in his terris licet disputent cum Adversariis nostræ fidei. Dixi 3. *Jure Naturali non omnibus licitum est*, nempe ijs, qui non satis habent peritiæ, dexteritatis, quin & firmitatis in fide ac virtutis; hi enim & se & alios periculo succumbendi exponunt, & ruina spiritualis. Dixi 4. *cum omnibus*, si quidem, si Adversarii sint Hæretici *materialis*, & se non errare bona fide existiment, videndum est, an rationabiliter sperare possis, talem hominem, quocum disputare vis, convertendum à suo errore ad veram fidem; vel potiùs timendi causam habeas, ne in erronea sua secta perseveret, etiam veritatem Catholica fidei edocuit, & suæ sectæ falsitatem: si prius, avide arripienda est disputatio: si posterius, omittenda; cum alium non referres fructum ac operæ pretium, quàm quòd ex

R. P. Pichler Theol. Polemica.

materiali peccatore formalem faceres, & ut ille, qui prius propter peccatum hæresicos non fuisset exclusus à cœlo, postea etiam propter peccatum infidelitatis damnaretur. Illud foret optimum factum, si talem hominem, cujus conversionem sperare prudenter non potes, doceas modum eliciendi actum Contritionis perfectæ; siquidem facillè contingit, ut ejusmodi materiales hæretici incidant in alia peccata mortalia v. g. luxuriæ, detractionis, invidiæ & odij erga proximum &c. à quibus peccatis liberari nequeunt per Absolutionem Sacramentalem ob defectum Sacerdotis legitimi, & idcirco aliud medium æternam perniciem evitandi ipsis non superest nisi Contritio perfectæ, seu dolor de peccatis ex motivo amoris DEI super omnia dilecti elicitus. Atque sic prudentem Zelum & egregiam charitatem erga proximum exerceres. Quòd si verò Adversarius sit pertinax, effrons, & obfirmatus in sua opinione, non expedit cum ipso certamen inire; cum nulla sit spes fructus: sed obsequendum consilio S. Pauli, quod tradidit Tito suo c. 3. *hæreticum hominem post unam & secundam correptionem evita*. Si tamen alij fortè presentes forent, qui vel fructum capere ex disputatione, vel si non acceptaretur oblata pugna, scandalum pati possent, quasi ex necessitate rectè susciperetur disputatio.

Quæres, an *aggressivè* vel *defensivè* tenere se debeat, qui cum Lutheranicæ aut Calvinisticæ disputat, seu an partes *Argumentantis* vel *Defendentis* sustinere? R. nisi valdò peritus & versatus sit

fit in Polemicis, longè melius ac tutius agit, si defensivè se gerat, & onus oppugnandi reiciat in adversarium. Quòd autem nos Catholici possimus pro libitu eligere partes Defendentis, clarum est, quia nos sumus in possessione Veritatis, & verè Christi Ecclesia; adversarii autem aggrediuntur nos, & ex hac possessione moliantur deturbare. Ipsi nostram Ecclesiam accusant defectionis, idololatriæ, & errorum in fide, adeoque sunt Actores. Ipsi jactant se Reformatores nostræ Ecclesiæ. Ipsi ab ea defecerunt, & tanquam rebelles subditi ab illius obedientia se subdixerunt. Atqui *Aggressoris* est aggressivè pugnare: *Actoris* probare: *Reformatoris* ostendere errorem: & *perfidii Transfugæ* rationem reddere suæ fugæ & detrectatæ obedientiæ; ut apud omnes indubitatum est. Ergo ipsorum est agere partes Argumentantis, nisi nos sponte illas suscipere velimus.

17. Qui autem defensivè se habet, & citò expedire se, & omne argumentum in quavis materia, quod Adversarius in suis principijs asserre potest, statim in cunis suffocare intendit, facillimè poterit, si nempe in dubium vocaverit, vel etiam ipsi negaverit hæc quatuor, vel saltem unum ex ipsis 1. quòd dicitur aliqua Scriptura S. quæ sit Verbum Dei. 2. transmissâ (si liberaliter velit agere) ex auctoritate Scripturæ, quòd illa comprehendatur illis libris, quos Adversarius habet pro Canonicis. 3. quòd ipse habeat legitimam versionem, & editionem incorruptam. 4. His omnibus *gratis* (quia nunquam certò

& infallibiliter probare poterit in suis principijs) & liberaliter permittis, quòd verba Scripturæ, quæ contra te allegat, habeant illum sensum, quem Adversarius intendit. Hæc omnia si quis negat, ut negare potest, cum non sint per se nota & evidentiâ, Adversarium ita constringet, ut pergere, & vel unicum articulum v. g. de numero Sacramentorum, de Justificatione per solam fidem &c. contra nos probare nullatenus possit: siquidem in suis principijs nullum argumentum adducere potest nisi ex Scriptura petitum. Quamdiu autem de illis quatuor punctis dubium manet, nec ea *infallibiliter* probat (quod rejecta Ecclesiæ & Summi Pontificis auctoritate impossibile est, ut demonstrò in Tractatu de Scriptura S.) nullum fidei articulum sufficienter & *infallibiliter* probare poterit in æternum, quia ex Scriptura aut sensu Scripturæ dubio evidenter impossibile est aliquid infallibiliter & certò deducere, etiamsi textus cumulentur textibus innumeris, quod facere solent, ut vel obruant vel terreat eos, quibuscum agunt.

Quòd si placeat disputare *aggressivè*, 18. consultum est, ut non descendas ad materias particulares v. g. de confessione auriculari, præsentia Christi in Eucharistia, etiam extra actualem manducationem, sine pane &c. sed ut sistas in principijs generalibus, probando nimirum, veram Ecclesiam à Christo fundatam necessariò durare usque ad finem mundi, & quidem ita, ut in errorem circa res fidei labi nequeat. Quo præstito consecrarium est, nul-
lan.

Jam Ecclesiam esse veram, quæ primùm post tempora Christi fuit introducta, & illam esse veram Ecclesiam hodiernam, quæ fuit aliquando vera. Atqui Ecclesia Lutherana, Calvinistica &c. primùm post tempora Christi fuerunt introducta, nec scitur locus ullus in mundo, in quo per 15. sæcula à Christo usque ad hos Novatores talis doctrina, qualem ipsi tenent, prædicata fuerit &c. Item ipsimet farentur, Ecclesiam Romano-Catholicam saltem primis sæculis fuisse veram Christi Ecclesiam. Porro ostendes, illam Ecclesiam esse veram, cui conveniunt notæ & signa veræ Ecclesiæ: econtra falsam illam, cui non conveniunt: atqui (subsumes) Ecclesiæ Romano-Catholicæ etiam modernæ conveniunt hæ notæ & signa, nulli autem alteri, ut invenies intra in Tractatu de Ecclesia. His autem firmatis & complanatis omnes quæstiones controversas complanasti, omnes articulos nostræ fidei sufficienter probasti, & debellatum est de omnibus Adversarijs: eò quòd veram Ecclesiam in rebus fidei errare impossibile sit. Proinde (inferes) Ecclesia Romano-Catholica non errat docendo, Christum esse præsentem realiter in Eucharistia, etiam extra usum, sine pane, peccata homini esse aperienda &c.

19. Alius modus *aggressive* disputandi posset institui per varias quæstiones. v.g. sic. Vel Ecclesia tua (Lutherana, Calvinista &c.) est nova vel antiqua? Si nova: ergo non est Ecclesia à Christo fundata: si Antiqua: ubi ergo fuit ante Lutherum, Calvinum, per tot sæcu-

L. P. Pichler Theol. Polemica.

la? quis Historicorum ejus meminit? quis unquam ante hos Novatores ita credidit, ut in nunc vos? &c. 2. Vel Ecclesia Christi est fallibilis, vel infallibilis: si infallibilis: ergo Romana Ecclesia, quæ etiam juxta vos aliquando fuit Ecclesia Christi, adhuc est vera Ecclesia Christi, quia nunquam errare potuit. Si fallibilis: ergo etiam vestra Ecclesia est fallibilis: si fallibilis, nunquam potestis esse certi, utrum rectè credatis, consequenter non potestis habere fidem firmam, & certam, adeoque nec Divinam, quæ debet tam objectivè quàm subjectivè esse certissima. 3. Vel possunt homines salvari in Ecclesia Romana vel non? si possunt: ergo Lutherus, Calvinus, & eorum affecta egressi sunt de Ecclesia Salvifica, & pessimè eam de seruerunt cum tanto Republicæ & pacis detrimento, cum tanta hominum strage &c. Si non possunt: ergo omnes per 12. vel plura sæcula fuerunt damnati, etiam tot Martyres pro Christo passi effuso sanguine, etiam Augustinus, Hilarius, Bernardus, Dominicus, Franciscus & alij innumeri etiam miraculis conspicui &c. quos & ipsi vocatis *Santos*, & aliquos eorum etiam in ipsa Apologia Confessionis vestra Augustana.

Si tam facilè ac solidè convinci possunt Protestantes, quare ergo tam pauci convertuntur ad Ecclesiam Romano-Catholicam, à qua egressi sunt? 2. Aliqui ideo, quia nostra argumenta, & motiva credibilitatis pro nostra Religione, & falsitatis pro sua, non satis sunt ipsis cognita, vel non sufficienter applicata: & hi materialiter errant.

B 27

Ec-

Econtra alij, quibus hæc sufficienter perspecta sunt, ideo non convertuntur, quia nolunt; nimirum vel absteriti *difficultate*, quam apprehendunt in mutanda Religione, aut sibi imaginantur in ijs, quæ reperiuntur apud Catholicos, cujusmodi est confessio peccatorum occultissimorum, necessitas emendandi vitam, & sibi temperandi à vitijs præsertim carnalibus, quibus dediti sunt, jejunia &c. vel prohibiti *respectu humano* erga consanguineos, Patronos, familiam &c. vel retracti *metu* amittendi bona temporalia, officia honorata &c. vel obdurati *mentis superbiâ*, ne videantur falsitatis convicti manus dare, & tamdiu tantæque pertinacia adhæsisse falsæ Sectæ, malamque propugnasse causam &c. Et hi formaliter, pertinaciter, & damnabiliter errant. His accedunt fraudes Prædicantium, qui odiosè, mendaciter, & calumniosè traducere ac denigrare non cessant doctrinam Catholicorum, Papam, Clerum, Religiosos, præsertim Jesuitas: ut nimirum aversione à teneris annis contra illos conceptâ fugiant, & se suos dedoceri errores non patiantur. Dicunt & clamant, Catholicos non curare Scripturam S. imò contemnere, pluris facere verba hominum & Papæ, quam Dei & Evangelij, fidem

penitus negligere, sola opera commendare, peccatores non ex meritis Christi, sed ex suis meritis justificari & salvari, Sanctos adorare tanquam Deos, Christo præponere Deiparam, in Eucharistia adorare panem, in Consecratione uti magicis incantationibus, Jesuitas esse magos, diabolos, & hinc omnes habere unum pedem caprinum &c. Et sic depingunt Catholicos tanquam Idololatrias, Hæreticos, Magos, & sceleratissimos mortalium. Quid mirum, quòd tanto pere abhorreant à Religione Catholica imperiti?

Pro utrisque, ut convertantur tandem, & ad ovile redeant diu ac perniciosè errantes oviculæ, imprimis orandus est Deus, in cujus manu sunt corda hominum. Dein huc præsens spectat labor, quem suscepi, & nunc redactum in alium ordinem denuo (sepius rogatus) publici juris facio, ut nimirum vel ipsi Heterodoxi (si legere dignati fuerint) veritatem nostræ, & falsitatem suæ fidei, clariùs agnoscant, vel à Catholicis ista lecturis (quos simul in Orthodoxa sua Religione plurimum confirmari cupio ac spero) data occasione intelligant. Antequam verò ipsam rem aggrediar, majoris claritatis gratiâ ob oculos, quem observare placuit, ponendus videtur

Ordo Doctrinæ.

Totum Opus dividam in duas partes pro numero annorum, quibus Studij Polemici Cursus in nostris Scholis absolvitur. *PRIMA* pars tres com-

pletetur controversias, quas *Fundamentales & Generales* nomino, quia jaciunt prima Fundamenta, & Generalia Principia ponunt, quæ in subsequen-

quentibus vel supponere necesse est : uti sunt ea, quæ in I. Controversia statuo de *existentia & unicitate alicujus Religionis à Deo revelata, & quidem Christiana* : vel ex quibus tanquam ex certissimis credendorum regulis solida eruntur argumenta ad probandum, quam sit Religio, & dogmata à Deo revelata, ac à nobis credenda : uti sunt, quæ in II. & III. Controversia dissero de *Scriptura S. & Ecclesia* : vel quæ ita influunt in decisionem omnium controversiarum Fidei circa dogmata particularia, ut sine illis istæ nunquam ritè ac perfectè decidi valeant, nec ulla sit circa res fidei particulares solidè dirimii uti iterum sunt, quæ in memoratis duabus Controversiis, præsertim in ultima de *Ecclesia* stabilio. *SECUNDA* pars sibi vendicabit iterum tres Controversias, quas appello *Particulares*,

quia agent de materiis particularibus, & iis fidei articulis, Catholicos inter & modernos Sectarios controversis, qui per se non necessariò requiruntur, vel supponuntur tanquam principia ad solidè probandos vel inferendos alios. I. Controversia tractabit de *Justificatione peccatoris* cum annexis materijs. II. De *Justis & Sanctis alterius vite*, cum huc pertinentibus. III. De *Sacramentis* tum in genere, tum in specie. Quo pacto omnes materiæ, Controversiis per biennium in Scholis ex præscripto pertractanda, commodo absolvuntur ordine. Adijcio in fine Examen Theologicum super *Augustana Confessione*, quæ Lutheranis omnibus est primus & præcipuus *liber Symbolicus*, ut vocant, & pupilla oculi.

